

**Debalz, Jean-François - candidat /
Brasdor, Pierre - président. - De ani
abscessibus**

1761.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Academiae Regii
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobeâ, sub signo Olivae.
Cote : ms 2342, n°79***



D. O. M.

DE ANI ABSCESSIBUS.

T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



COLLECTIO puris in parte quâlibet abscessus dicitur. Plegmoni ut plurimum succedit. Variam illius sedem & naturam attentius perpendere non suscipimus, omisque quæ de illius morbi formatione & differentiis dici possunt peculiarem hujus speciem, Ani scilicet abscessus considerabimus. Cum verò morbi cura morbosæ partis structuram cognitam exigat, Ani anatomen præmittendam judicavimus.

ANUS est tubi intestinalis, seu potius intestini recti finis quo excernuntur fœces alvinæ. Peculiaris illi fabrica est. Duobus clauditur

A



sphincteribus quorum alter interior est , alter verò exterior. Fibrarum circularium musculosæ tonicæ intestini recti ultimi crassioresque annuli sphincterem internum constituunt.

EXTERIOR sphincter fit duobus planis fibrarum , quæ posteriùs offi coccygis , nec-non ejuldem offis ligamento cutaneo , anteriùs verò tendini medio musculi urethræ transversalis adnectuntur. Hæ fibræ annulum quemdam oblongum efformant , cui interjicitur Anus ; hunc que suâ contractione ad rectitudinem accedentes constringunt.

ALII præterea duo musculi levatores Ani dicti sunt duæ latæ ; tenues insârque telæ portiones musculares , hinc concavæ pelvis inferioris hypogastricæ superficiei ab ossium pubis symphisi ad ischiorum spinas usquè & ultrà adnexæ ; indè verò retrò descendentes & ultimam recti intestini curvaturam comprehendentes illorum fibræ partim cum sphincterum fibris implicantur , partim prædicto ligamento nec-non offi coccygis infiguntur.

HORUM musculorum fibræ cum sphinctere conjunctæ fibras ejus diducere , Anumque aperire possunt. Simul dùm excrementa egeruntur Anum sustinet ne deorsùm prolabatur. Abdominis fundum , ut & diaphragma ipsius fornicem , constituunt.

VASA percurrunt Anum arteriosa , venosa , & nervea. Arteriæ à pudendâ communi hæmorrhoidalium externarum nomine procedunt ; venæ sanguinem ad pudendam communem revehunt , nervi verò à plexus hypogastrici ganglio , & ab ultimis intercostalis utriusque ramulis oriuntur. Ambitum Ani defendit humor sebaceus copiosissimus ex glandulis sibi propriis effluens.

EXCREMENTORUM frequentiori indèque molestæ ejectioni occurrit membranarum intestini recti dilatabilitas maximaque textus cellularis circumdantis valdèque extensibilis copia , quibus fit ut fœces alvinæ colligi & ad tempus adservari valeant. At hæc structura incommodi non caret. Partium nempe laxitas liquorum stasi , inflammationi , indèque sequenti abcessui frequentem præbet occasionem.

INFLAMMATIO autem dolore loci , cutis rubedine , elevatione , duritie , nonnumquàm febre se manifestat , cui quidem remediis indicatis occurrendum , quibus incassum tentatis ut plurimum & intrâ parvum quandòque temporis intervallum , inflammatio in abcessum terminatur. Hunc formatum indicant remissa quæ vigeant accidentia ; demonstrat verò puris fluctuatio , nonnumquàmque per viam quam sibi fecit exitus. Quid in hoc casu agendum sit ex dicendis indicabitur.

Abcessus illos antè maturationem perfectam latè profundèque aperiri , ne pus intèr partes vicinas serpat , aut intestini denudationem

erofionem gangrænam vè inducat dudum artis est (a); quin & intestinum rectum à pure denudatum usquè ad abscessus fundum, ut cum vicinis partibus coalescere possit findendum esse edoctum fuit (b): aliam verò mitioremque methodum suademus cum viro de Chirurgiâ benè merito, cujus doctrinam ratio simul & experientia comprobant (c).

ABSCCESSUS Ani viciniam occupantes, sive spontè, sive simplici minusque extensâ cutis incisione aperiantur, parietum suorum completâ coalitione, ut plurimum curari constat; ut videre est in actif. R. Chir. Acad. (d). Cunctatio igitur in celebrandâ horum abscessuum solitâ apertione solâ experienciâ præcipitur; ast illam numeris omnibus tutiorem & anteponendam esse, etiam si parietes abscessus non coalescerent, nemo diffitebitur qui sequentia attentâ mente perpendet.

ILLUD ex operationis cunctatione timendum est, ne scilicet abscessui succedat fistula quæ in posterum operationem sibi congruam expolset: verum si spes curationis absque instrumentis secantis ope cum incertâ operationis futuræ necessitate ponderetur, si res manere eadem ad minimum ex parte morbi, posse verò portionem qualemcumque parietum abscessûs coadunari, cavitatè tandem abscessûs pure exhaustâ operationis tunc necessariæ limites, directionemque incisionibus præscribendam accuratiùs tum definiri cogitetur, methodum à nobis propositam potiorem esse facilè intelligitur.

SENTENTIAM nostram confirmat sequens consideratio. Abscessuum ani vicinias occupantium causa est ut plurimum fistula interna. Fissura nempe intestini excrementorum humiditates admittens morbo prædicto occasionem dat. Si hujusmodi abscessûs operatio, ut moris est, instituatur; fieri sanè poterit ut intestini foramen intactum relinquatur, alteraque in posterum celebranda supersit operatio. Methodo quidem nostrâ si fistula succedat, quod incertum est, unica certaue sufficiet operatio.

HIS adde prædictos abscessus ab urethræ vitio quandòque pendere. Porrò incisiones in Ano supervacaneæ mali causam intactam hoc in casu relinquerent. Si à venereâ scorbuticâvè causâ procedant, solâ specificorum administratione curantur plerumque, adeò-

(a) Paré des tumeurs en particulier, chap. xx. M. Garengot *Oper. de Chir.* tom. 11, pag. 342. M. Quesnay, *Traité de la suppuration*, p. 170, &c.

(b) *Mem. de l'Acad. R. de Chirur.* tom. 1, p. 389.

(c) Vide in act. Reg. Chir. Acad. tom. III, pag. 473. *Dissertationem* M. Foubert de Ani abscessibus.

(d) Loco citato.

4
que à cunctatione propositâ tunc abstinere inhumanum fore nemo negaverit. Aliquæ tandem sunt circumstantiæ, in quibus horum abscessuum aperturam more consueto celebrare ad minus inconsultum foret, si, verbi gratiâ, in vicino partu sese manifestent. Idem dicendum de abscessibus ægros diffenteriâ, longo acurovè quolibet alio morbo laborantes aut ex his convalescentes, afficientibus.

DENIQUE si abscessui successuram esse fistulam comperiat, illam à duritie tunc liberam sufficit ut curetur findere: quod quidem absque instrumenti secantis ope, interjectoque per foramen filo plumbeo interdum magis ac magis stricto feliciter perficitur (a).

Ex his omnibus pronum est concludere abscessus Ani marginem occupantes simplici cutis incisione, quæ libero puris exitui sufficiat, aperiendos esse, aut etiam, si pus sibi viam satis patentem fecerit ab omni incisione abstinendum esse.

(a) Vide Dissert. M. Foubert loco citato.

D' auch
Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO BRASDOR, Artium & Chirurgiæ Magistro, Serenissimæ Aurelianensium Ducissæ dum viveret Chirurgo Primario, tueri conabitur JOANNES - FRANCISCUS DEBALZ, Auscitaneus, in Almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Veneris 14^a Augusti à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam;

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobeâ, sub signo Olivæ, 1761.